

In Hebræo, pro , claudicauerunt à semitis suis, habetur, contrahentur in angustijs suis, vt vertit S. Hieronymus, vel expauescent à carceribus suis, vt vertit Pagninus; Sed sciēdam est, vocem, iachregu, non haberi, nisi in hoc Psalmo; & idēd si licuit Pagnino verte- re, expauescent, & S. Hieronymo, contrahē- tur, multo magis licuit Septuaginta Inter- pretibus verte- re, claudicauerunt. Imo mirū est, cur posteriores ausi sint recedere à versio- ne antiquissimorum Interpretum in ea vo- ce, quæ non habetur alibi in Scripturis, præ- fertim cum interpretatio Septuaginta ma- ximè cohæreat cum reliquis partibus huius versiculi. Porro altera vox, Misgheroth, signi- ficat propriè locum angustum, vel clausum à verbo, sagar, quod est claudere; & propte- rea S. Hieronymus vertit angustias, Pagni- nus carceres, & Septuaginta semitas: nam se- mitæ sunt viæ angustæ. Itaque sensus est, fi- lios adulterinos, qui ficto corde seruiunt, claudicare à semitis, id est, declinare à semi- tis, per quas recto pede ambulandum fuisset.

L. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

Concludit Psalmum laudans Deum. Vi- uit Dominus, id est, nunc apparuit Dominū viuere, & sicut viuit, ita semper uiuat, & ex- altetur Deus auctor salutis meæ.

LI. Deus qui das vindictas mihi, & sub- dis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis,

Exaltetur, inquit Deus, qui vindicauit iniurias mihi factas, & subiecit mihi populos, qui rebellauerant, & liberauit me de insidijs, & impetu inimicorum furentium, quales fuerunt Saul, & Absalon. Pro voce, iracun- dis, habetur in Hebræo Af, quam moderni vertunt, &, vel etiam. Sed cum ea vox sæpè significet nasum, & nasus in Scriptura pas- sim ponatur pro iracundia, quæ ex nasi im- mutatione cognoscitur, rectè Septuaginta Interpretes verterunt, iracundis, idem est enim phrasi Hebraica, ab inimicis meis nasi, id est, iracundiæ, & ab inimicis meis iracūdis.

LII. Et ab insurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me.

Precatur sibi conseruationem diuinorum beneficiorum, nimirum exaltari ab insurgē- tibus in se, vt frustra nitantur, cum pertinge- re tam altè non possint, & liberari ab omni homine iniquo. Particula, &, in principio versiculi potuisset omitti; nam in Hebræo, & Græco nō habetur, nec eam habet sanctus Augustinus. Videtur in nostro textu hæsis- se ex altera interpretatione vocis, Af, quæ nasum significat, & etiam particulam, &: & fortasè erat in margine: sed nihil officit sen- sui.

Propterea confitebor tibi in natio- LIII
nibus Domine, & nomini tuo psalmū dicam.

Hæc de causa, inquit, confitebor, id est, laudabo confitens beneficia tua, idque non clam, sed palam, & coram multitudine po- puli, vt omnes discant cōfidere in Domino.

Magnificans salutes Regis eius, & LIIII
faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in sæcu- lum.

Hæc conclusio per se manet, & sensus est, sit Dominus magnificans salutes Regis sui, id est, augeat, & multiplicet salutem corpo- ris, & animæ, & omnium rerum Regis, quæ ipse Deus sibi elegit: & faciat perpetuam mi- sericordiam Dauidi, quem ynghi iussit in Re- gem, & omnibus successoribus eius vsque in æternum. Quæ precatio impleta est in Chri- sto Iesu Domino nostro, qui regnat, & reg- nabit in omnem æternitatem.

PSALMVS XVIII.

Titulus, & Argumentum.

In finem, Psalmus Dauid.

Titulus nihil habet noui. Argumentū Psalmi est laudatio diuina legis. Com- parat Propheta legem diuinam cum cælesti corpore, quo nihil videtur esse in re- bus corporalibus pulchrius, utilius, poten- tius. Potest idem Psalmus exponi de Christo, & Apostolicè, vt S. Augustinus facit.

EXPLI-